

triduanum Jonæ jejunium? Aut vero per orationis ejus efficaciam? vel propter bona proposita deinceps divinis præceptis prompte obediendi? Nequaquam hæc omnia ad liberationem Jonæ Deum permoverunt, sed tunc Deus ceto præcepit, ut ex apertis faucibus suis Jonam ad littora Ninivitana sanum et incolumentem evomeret, quando Propheta se in templo sacrificium oblaturum esse promisit, quando enim dixit: Immolabo tibi, tunc dixit Dominus pisci, et vomuit Jonam in aridam: Jejunia quidem, orationes, vigiliæ, dolores patienter tolerati, interni componitionis actus, etc. bona et salutaria sunt opera, nec non ad suffragium animabus illis media convenientia. At vero sacrificium incruentum, ceti id est, purgatorii janam aperit et animam ad cœli littora feliciter appellere facit. *IBID.*, n. 6.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Carolus Borromæus hanc inscriptionem voluit sepulcro suo apponi: Carolus Cardinalis tituli S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolanensis, frequentibus Cleri, populique, ac devoti femine sexus commendatum precibus se cupiens, hoc loco (in medio templi, ubi cuncti pertransunt) monumentum elegit. *HIERON. MEAZZA, in Stim. quot.*, n. 170.

Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis, *ECCL.*, vi, 10, qui locus recte applicatur amicis, qui in vita honorant et serviunt suis fautoribus, et benefactoribus, post mortem autem sine omni subsidio relinquunt.

Apprehendit Angelus Domini (Habacuc) in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, et posuit eum in Babylone supra lacum. *DAN.*, xiv, 33. Et per hoc significatur, Angelus Custos cujusque animæ incitans alios ad opem suo clienti ferendam. S. ANT.

Anima in purgatorio est velut Jonas in ceto, viventium destituta suffragiis, hinc de illa vere dicitur: Circumdederunt me aquæ (tribulationum) usque ad animam: abyssus vallavit me: pelagus operuit caput meum. Et, cum angustiaretur in me anima mea, homini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Cuidam concionatori concionem paranti anima ex purgatorio apparuit dicens: Le-

gatione fungor animarum in purgatorio; hæc enim mandant suis, in derelictis possessionibus constitutis: Miseremini mei saltem vos amici mei. Ex his verbis eras sermonis thema accipies, et repelles ludos execrabiles, quos vidisti, et induces homines, ut defunctorum amicorum subveniant animabus. *VIT. PRÆD.*, p. V, c. vii.

S. Monica in extremis constituta dicebat: Ponite ubicumque hoc corpus, nihil vos ejus cura conturbet. Tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare mei memineritis. Idem nunc animas defunctorum dicere credibile est. *VIT.*, 4 maii ap. *STR.*

Qui vere diligunt amicos suos, ita se erga eos post mortem gerere debent, ut de illis cum veritate dici queat, quod Ecclesia de SS. Apostolis canit: Quomodo in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. *In Brev. Rom.*

UTILITAS. — S. Hieronymus dicebat, animas, quæ sunt in purgatorio, pro quibus Sacerdos orat, interim tormentum non sustinere, dum Missa celebratur. *BERNARD.*, de *Busto*, s. 13.

Joannes Landspergius inter alia sic orabat: Domine Jesu, ego do illis mortem tuam, et Sanguinem tuum: quomodo enim possum aliter ipsis succurrere, aut mederi? largire tu, ut horum virtute liberentur. *MEAZZA, in Stim. quot.* 272.

Habemus lucrum incomparabile, si pro defunctis orationes assidue fundamus, vel pro illis jejuniis, aliisque penitentiae operibus satisfaciamus. *BELLAR. DE GEM.*, *Columb. Jod.*

Carolus V bis mille nummos aureos, quorum singuli habebant pondus viginti ducatorum, cudi jussit, et hos omnes Marchioni de Villareal donavit ob Sponsam Isabellam sibi e Lusitania adductam. Quid Deus infirmitatis liberalior non dabit animas purgatorii veluti Sponsas charissimas in cœlum suis impensis ducenti? *ANDRIES, de Purg.*, s. 169.

Dionysius Rex Siciliae cum Damonem et Pythiam (quorum alteruter mori debebat, unus tanquam reus, alter tanquam obsecrator) alterum pro altero mori contententes vidit, non modo utrique vitam donavit, sed etiam in amicitiam suam velut veros amicos recepit. Quid Deus faciet, si viventes pro mortuis pati et mori velle videat? *VALER.*, l. V, c. vii.

MEDIA AD ILLAS JUVANDAS. — Scauri piscis, cum eorum unus in nassam incidit,

posteriorem sui partem de nassa protendit, inde reliqui circumnantes eum morsu arripiunt, et foras pertrahunt: si vero captus caput de nassa porrigat, reliquorum aliquis eandem porrigit, quam captus arripiens similiter extrahitur. *ELIAN.*, l. I, c. v.

Elephantus quando profundam fossam transire voluit, eorum unus in illam descendit, et pontem quodam modo reliquis facit: per quem ubi transierunt, eundem postea unanimes conatu extrahunt. *IBID.*

Pantheræ cuidam cum catuli in foveam incidissent, illa in publico hominem expectabat, quem tunc leniter apprehensum ad foveam duxit, ubi cum catulos ille eduxisset, illa securum extra solitudinem duxit. *PLIN.*, l. VIII, c. xvii.

Gillardus, cum se cuidam post mortem combustum latere toto ac pectore ostendisset, rogatus, quomodo juvari posset, respondit: Si fratres instanter pro me orent, quantocius liberabor. *JO. NAD.*, in *Anno æter.*, heb. xxiv, n. 4.

Luxemburgensis Spiritus, Mariæ puella quinque Pater et Ave pro illo recitantis brachia, suppositis manibus flectens sustentabat, quo illa facilius laborem ferret. *IBID.*, n. 3.

Bartholomæus Floridæ Vallis conditor, quotidie centies et quinquagesies Psalmum Miserere pro animabus recitabat. *IBID.*, n. 2.

In Monasterio S. Hilarii Lavionensis anima quedam apparens dixit: Dominicis diebus propter gloriam Resurrectionis Dominicæ, et quando pro nobis hostia salutis Deo immolatur, multi nostrum nulla pena afficimur, et ad loca, in quibus corpora nostra jacent, venire permittimur; quæ si aqua benedicta invenimus aspersa, paradisiaca nobis requies videtur. *LUC. LUDENSIS, in Hist. mir. s. Isid.*, c. xxxi.

Solemne est Ecclesiæ feria 2 sacrificium Missæ vel orationes pro defunctis dicere, ut ipso statim hebdomadæ initio quam citissime piorum animæ piaculari prece sublevantur: et quæ reliquos hebdomadæ dies viventibus subsidio dedicat, prius mortuorum, quam mortalium causam perorare. *MEAZZA, in Stim. quot.*, n. 62.

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aqua, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. *LUC.*, xvi, 24. Quid est, minimum digitorum intingere, nisi aliquid pietatis opus quodcumque mini-

mum pro absoluteione alienjus mortui operari?

AUCTORES.

Jacobus Montfordus in tr. de *Misericordia animabus Purgatorii præstanda*.

Martinus de Roa in libello *de Seelen Hulf* dicto.

Georgius Ravv. in libello *Herold* appellato.

Jodocus Andries in *Purgatorio Catholice asserto*, cum incitamentis et methodis suffragandi.

Elias a S. Theresia de Jesu in *Legatione animarum fusissime*.

Gaspardus Tausch. in *Matre dolorosa*, p. III, c. vii, per aliquos §§.

Anonymus in libello *Heilsame hurrzweil die Seelen zu fischen*, dicto.

Mathias Faber in *die Commemorationis animarum*. Item in *Concionibus funebribus*.

Joannes Nadasi in *Anno hebdomadarum celestium*, fer. 2; in *Anno Æternitatis* circa finem.

Theophylus Raynaudus, tom. XV, *Heteroclytorum spiritualium*, p. 2.

Georgius Pistorius in *dem allgemeinen Klaghaus*.

Hieronymus Meazza in *Stimulo quotidiano incitante ad defunctorum suffragia*.

Jacobus Hautinus in *Patrocinio defunctorum*.

Josephus Mansi, tr. LXVIII, in *Discursibus*.

MODESTIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, quæ externa hominis membra et actiones juxta status cujusque decentiam moderatur. Vel, ut fusius definit Jacobus Alvarez: Est virtus, quæ externos motus et gestus corporis temperat: quæ ludis, et jocis moderationem adhibet: et quæ cultui et apparatus personæ debitum modum (a quo denominationem accepit) imponit.

DIVISIO. — Dividitur a S. Thoma in quatuor species: quarum prima coeret motum

animi ab excelsis, et vocatur *Humilitas*: altera limitat desiderium cognitionis, et *Studiositas* appellatur: tertia modum, gestusque externos moderatur, et proprie *Modestie* seu *Moderationis* nomen retinet: quarta cultum et apparatus hominis in vestibus et aliis utensilibus ordinat; et ipsa quoque ad modestiam proprie dictam pertinet.

ACTUS. — Hos generaliter bene assignavit Hugo de S. Victore, dum ait: Prima custodia disciplinae in gestu est, ut unumquodque membrorum in eo officio, ad quod creatum est, se contineat: ut id, quod facit eo modo facit, quo faciendum est, nec plus, nec minus, nec aliter. Et ut in paucis exemplificemus, ridere debet sine aperitione dentium, videre sine deflexione oculorum, loqui sine extensione manuum, et digitorum, incedere sine ventilatione brachiorum, et sine gesticulatione scapularum, sedere sine alterutra superiectione pedum, sine extensione vel agitatione tiliarum, et sine accubatione laterum. *In novit. Instruct. c. XII.* Paulo distinctius vero singulorum membrorum officia a modestia præscripta indicat S. Ignatius in regulis, quas de modestia conscripsit, non sine multarum lacrymarum, ut ipse quondam fassus est, effusione, quas proin in Patris amantissimi memoriam placet huc apponere. Sic ergo loquitur.

In conversatione nostrorum illud in universum dici potest, ut in omnibus actionibus externis appareat in nostris modestia, et humilitas conjuncta cum religiosa maturitate; speciatim autem hæc observanda sunt.

Caput huc illud leviter non moveatur, sed cum gravitate, ubi opus erit: et si opus non sit, teneatur rectum cum moderata inflexione in anteriorem partem, ad neutrum latus deflectendo.

Oculos demissos ut plurimum teneant, nec immoderate eos elevando, nec in hanc, aut illam partem circumflectendo.

Inter loquendum cum hominibus, præsertim alicujus auctoritatis, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potius sub oculis.

Rugæ in fronte, ac multo magis in naso evitentur, ut serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium.

Labia nec nimis compressa, nec nimium diducta.

Tota facies hilariter potius præ se ferat, quam tristitiam, aut alium minus moderatum affectum.

Vestes sint munda, et cum religiosa decentia compositæ.

Manus si non in sustinenda veste occupentur, decenter quietæ teneantur.

Incessus sit moderatus, sine notabili festinatione, nisi necessitas urgeret, in qua tamen, quantum fieri potest, decoris ratio habeatur.

Omnes denique gestus ac motus ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant.

Si plures simul erunt, ordinem præsertim a Superiore bini, vel terni incedendo servant.

Si loquendum fuerit, meminerint modestiæ et ædificationis tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *PHILIPP. IV, 4.*

Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. *MATT. V, 15.*

Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis et operam detis, ut quieti sitis, et i honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt. *1 THESS. IV, 11.*

De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque justa, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplina, hæc cogitate. *PHILIPP. IV, 8.*

NECESSITAS. — Finis modestiæ timor Domini, divitiæ et gloria et vita. *PROV. XXII, 4.*

Domini nostrum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad omnem satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.

UTILITAS. — Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. *PROV. XXVII, 19.*

Ex visu cognoscitur vir, et ab occursum facie cognoscitur sensatus: amictus corpo-

ris, et risus dentium, et ingressus hominis enunciat de illo. *ECCLES. XIX, 26.*

DIGNITAS. — Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. *COLLOSS. III, 12.*

Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli, id est, pueriles levitates et actiones. *I COR. XIII, 11.*

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — In omnibus moribus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. *S. AUG., in Reg.*

Motum natura informet; si quid sane in natura vitii est, industria emendet. *S. AMBR., l. I, Offic.*

Temperanda est etiam facies, et modificanda in gestu suo, ita ut nec proterve exasperetur, nec molliet dissolvatur, sed semper habeat rigidam dulcedinem, et dulcem rigorem, secundum illud Ecclesiastici: Ex visu cognoscitur vir, et ab occursum faciei vir sensatus. *HUGO, l. de Dis. mon.*

Vitæ genus Evangelio conveniens diligere, cuius facile est; quod autem quis vejmintissima quæque, quæ in eo descripta sunt, consilia conservet, neque eorum quodvis neglectum transmittat, hoc vero rari quos ego quidem noverim, opere ipso præstiterunt, ut videlicet lingua usi continent silentio obvinca, oculis etiam adhibeant moderationem, quam requirit evangelicæ perfectionis tenor, manibus insuper indicent intentum laborem ex suscepto in eundem gratiæ Dei consilio, modum illidem præscribent pedibus, denique reliquis totius corporis membris eo modo uterentur, quem et eorum susceptæ vitæ propositum et ipsa initio Opificis nostri fabrica ratio requireret. Quin in vestitu pro decoro modestiam, in congressione cum cæteris circumspectionem, in cibis illud modo, quod natura desideraret, teneret, in rebus ad vitæ usum parandis uni tantum necessitati consulere. Hæc quidem dum simpliciter hoc modo dicuntur levia videntur, ac nullius pene difficultatis; ejusmodi tamen sunt, in quibus servandis magna opus esse contentione, ipse nos usus docuerit. *S. BASIL., in ep. ad Canon.*

De ludo monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites, quorum habitus, servom, vultus, incessus, doctrina virtutum est. *S. HIER., ep. ad Rust.*

Monachum oportet corpus quietum, habitum non sordentem, sed honestum, vocem moderatam, sed sermonem compositum habere: in cibo potioneque minime turbulentum esse, sed sedatum potius et gravem; coram majoribus natu silere, non esse ad risum proclivem, oculos habere ad terram dejectos, animum ad cælum erectum, manibus laborare, Sanctorum pedes abluere, a congressu mulierum abstinere. *S. BASIL., s. de Asc.*

Modestia est, cultum et motum et omnem nostram occupationem, ultra defectum et citra excessum sistere. *HUGO.*

Temperantia cordis habeat anima munditiam, justitia misericordiam, prudentia pacem, fortitudo mansuetudinem. *AMBR., de Offic.*

In te consistito, non infra dejici, non supra attolli, non evadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, si non vis perdere modum, locus medius virtus est, medium, sedes modi, et modus virtus. *BERN., l. III, de Consid.*

UTILITAS. — Speculum mentis, facies: et taciti oculi, mentis latentur arcana. *S. HIER., epist. ad Tur.*

Intus est custodia, quæ servat exterioris membra; qui ergo statum mentis perdidit, foris in inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interioris radice subsistat. *S. GREG., lib. III, Past., c. XXIV.*

Viri summa virtute præditi, etiamsi nullum verbum emittant, silentio tamen quavis voce clariore discipulos suos erudiunt, non ipsorum aures oblectantes, verum animis lumen et splendorem afferentes. *S. ISID. PELEUS., l. II, epist. II.*

Sanctorum non tantum verba, sed etiam ipsi vultus spirituali gratia pleni sunt. *S. CHRYS., hom. III, ad pop.; Reg. Monach., c. XXII.*

S. Hieronymus inter cæteros modestiæ fructus hos esse præcipuos censet: ut loquacibus compunctionem ingerat, et intrandi ad societatem vestram (puta religiosorum) sancta desideria incitent, et affectus ad cælestia moveantur. Hi sunt, qui monasteria implent, et Domum Dei ædificant.

Hoc est pulchritudinem vivendi tenere

convenientia cuique sexui et personæ redere : hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem commodus. S. AMBR., *l. de Offic.*, c. xviii.

Sobrietas mentis medicina est corporis. *IBEM.*, de Noe.

NECESSITAS. — Bona domus, in ipso vestibulo debet agnoscere. S. AMBR., *l. I, Offic.*, c. xviii.

Habitus mentis in corporis statu cernitur, animi vox est corporis motus. *IBID.*

Mortalium Regum Ministris, et terrenis imperatoribus famulantes, quotiescumque se dominorum suorum aspectibus præbent cunctas, quas vel in vestibus, vel in facie gerunt, sordes dilere studiosè conantur, ne quid in ipsis incompositum, aut indecorum appareat, quod oculis Principis despiciabile videatur. Dignum quippe est, ut quidquid sordescit, quidquid deforme est, amoveant a se, quatenus aspectus illorum alliciant, quibus placere concupiscant. Capitur etenim animus ex ornato et speciositate creaturarum. Hanc regulam, hunc quoque morem solerter custodire debent omnes æterno regi militantes. Propterea Angelicam conversationem tenere conentur, quotquot cœlesti Domino gratissimum desiderant exhibere famulatum. S. LAUR. JÜ., *de Dis. man. cap. xvii.*

Serva corpus tuum et membra ea dignitate, qua decet, ne, si ea quolibet levitatis studio injuriose tractaveris, quanto potiore præmio coronareris, si ea digne tractasses, tanto majori supplicio subjiceris, si iis indigne abusus fueris. Oculi tui, oculi Christi sunt. Non igitur licet tibi oculos Christi ad aliquas vanitates conspiciendas dirigere : quia Christus est veritas, cui omnis falsitas contraria est. Os tuum, os Christi est. Non debes, non dico ad detractiones, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermones aperire, quod ad solas laudes Dei, et ædificationem proximi debes patulum habere. S. AXSEL., *in Med.*

Christi athleta ad coaptandum corpus suum totaliter, in obsequio Christi Jesu exerceat, ut omnes actus et motus corporis sint omni morum honestate compositi, servi Regularium disciplinæ : neque enim poteris animam unquam ab inordinatis cohibere, nisi prius studueris corpus tuum subjicere disciplinæ, ipsum restringendo non solum ab omni actu, sed etiam ab omni motu incongruo et inepto. S. VISC., *de Vit. sp.*, c. v.

DIGNITAS. — Ubi Christus, modestia quoque est. S. GREG. NAZ., *ep. cxviii.*

Dives ideo modestia, quia Dei potior est : hoc est (ut quidam explicant) pars notarum inhabitantis Dei. S. AMB., *l. I, Offic.*, c. xvi.

Studeamus modestiæ, nam studiis et exercitiis assimilatur anima, et qualia facit, talis formatur et figuratur. S. BASIL., *s. de Humil.*

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS. — Christus quantopere modestiam amat, et exercuerit testatur Sanctus Hieronymus his verbis : Nulli dubium est, veritatem, et modestiam, et justitiam Christum appellari, qui dicit : Ego sum via, veritas et vita. Et, discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Et quia factus est nobis a Deo justitia, et redemptio, et sanctitas. Nec autem universa dicuntur in corpore, ut exigantur in membris. S. IHER., *in Expl. Ps. xlii.* Hoc idem etiam ipsemet S. Birgittæ revelavit, dicens : Ego positus in humanitate sic temperavi orationes, labores, et jejunia mea ut nec scandalizarentur intuentes, nec ab absentes offenderentur, sed omnes, qui voluissent, possent imitari verba mea, et opera, et exempla. Hinc Sanctus Paulus Corinthios obtestatur : Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi. *l. Cor. i, 30.*

B. Virgo quam modesta fuerit, testatur Nicephorus his verbis : Erat Maria in omnibus honesta et gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, et perquam affabilis, honorem suum omnibus exhibens, sine risu, sine perturbatione, et sine iracundia maxime. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiæ secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens : et, ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa inerat gratia. NICEPH., *l. II, c. xxxii.* Idem confirmans sanctus Ambrosius : Nihil, inquit, torvum in oculis, nihil in verbis procrax, nihil inverecondum ; non gestus fractior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. S. AMB., *l. II, de Virg.* Sed et sanctus Damascenus addit : Honestus vestitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens,

gressus sedatus, atque ab omni levitate remotus, mores severi hilaritate temperati, et quod maxime mirandum, senilis in corpore juvenili prudentia. *Orat. i, de Nat. Virg.* Hinc cum Musa virgunculæ olim cum magno virginum choro apparuisset, et ipsa associari illis petiisset, respondit, eam nequaquam adhuc ea gratia dignam esse, eo quod levicula nonnihil, et immodesta adhuc foret ; redituram tamen post viginti dies, secumque adducturam, si mores emendasset. Quod et factum. S. GREG., *l. IV, c. xiii.*

Gregorius Romanus Pontifex, in pontificia dignitate, sublimique humanæ pietatis arce constitutus, ita fastigium illud honoris abjectione miscuit, ut servorum Dei se servum dixerit ; appellationem non modo non invidiosam, sed etiam grato duarum diversarum rerum temperamento vehementer popularem. SABEL., *l. IV.*

Alaricus Gothorum Rex, Roma capta, et hostiliter direpta, in eo temperavit, quod edictum proposuit, ut capitale esset, si quis apostolorum principum templa, aut quæ in his essent, violaret : et ut in universum a cæde abstinere, est militibus indictum. SABEL., *l. VI.*

Rudolphus Austriacus Ottocarum Bohemiæ Regem victum ad se vocavit, fidem ab eo (homagium dicitur), accepturus. Ille venit cum magno et splendido comitatu, viri et equi auro, gemmis, serico nitebant. Dicitum Rudolpho adventare, et sedulo a quibusdam additum, pararet se veste et cultu ornatiore et imperatorio, talem regem admissurus. Rudolphus ridens : Immo Rex Bohemiæ, inquit, griseam meam vestem sæpe derisit : nunc ipsum vestis mea grisea deridebit. At vos equos et arma expedite, et accincti instructique ut ad pugnam state. Decus Teutonorum armorum non vestium advenis istis ostendite : hoc me vobisque dignum est. Dixit Rudolphus ; neque aliter fecit. Ottocarus illi vili cultui se, et aurum suum submitit et ad genua accessit, non sine lubricio, etiam cum imperator jussisset tentorium, in quo res gerebatur, subito pandi et revelari, ut ab omnibus geniculans Ottocarus conspici possit. *Jesr. Lips., Man.*, *l. II, c. v.*

Ludovicus II Galliarum Rex, Caroli Septimi filius, gloria regnoque atque in primis liberalitate, quantus ullus superiorum Regum, ingens, multis victoriis clarus, cum alii Reges auro sericoque amicerentur, lana aut bombyce induebatur, et quo pretiosiore

veste ut fulgerent alii curaverunt, ipse ut viliori amictu conspiceretur, operam dabat, forsate ob eam causam, ut cum inter Christianos Reges omnium maximus liberalissimusque haberetur, qui viderent eum, habitus humilitatem mirarentur. *TULL.*, *l. II, c. vi.*

UTILITAS. — S. Franciscus tante erat modestiæ, ut plus solo suo aspectu moverit hominum corda, quam concionatores sua eloquentia. Hinc aliquando dicens socio, se ad concionandum iturum, una alterave vice modeste urbem obambulavit ; quærenti vero socio, cur concionatus non esset, respondit, id se jam fecisse, dum urbem solita modestia obambulasset. Hinc suos in regulis his verbis hortatus est : Consulo, moneo et hortor fratres meos in Christo Jesu Domino nostro, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, aut alios judicent, sed sint mites, pacifici, et modesti, et mansueti, et humiles. *SCRIPTS.*, 4 octob.

S. Bernardus cum suis monachis Innocentio II, Pontifici et Cardinalibus monasterium Claræ Vallis visitantibus tanta modestia obviavit, ut Pontifex et Cardinales a lacrymis præ gaudio sibi temperare non possent. *Vit.*, *l. II, c. iii.*

S. Bernardinus Senensis tanta erat modestia præditus, ut ad ipsius præsentiam æquales suæ immodestiæ puderet, et vel hæc sola voce : Bernardinus adest : ad gravitatem se componerent. *SCRIPTS.*, *in Vit.*

S. Lucianus M. sola oris modestia etiam ferocientes homines ad cultum Religionis adducebat. Quod cum intellexisset Maximianus, qui eum martyrio affici jusserrat, non est ausus ad se vocatum aspiciere, ne ejus modestia caperetur, et Christianus fleret, sed velo interposito eum est allocutus. *LANSZ.*, *op. 3, c. ii, n. 322.*

De S. Ephrem testatur S. Greg. Nysenus, quod vultus ejus Angelicus idoneus erat, ut solus sine ulla oratione ad commiserationem intuentes commoveret, tanta in eo tum simplicitas, tum mansuetudo, tum probitas cernebatur. Nullus erat tam pudens, qui non intuens eum pudore suffundebatur, sequè ipso melior et modestior fiebat. *IBID.*

S. Romanus multis aspectu suo fecit rerum divinarum amatores, et quotquot ad eum ventitabant, eos et aspectu, et sermone, toto vitæ suæ tempore replevit utilitate. *IBID.*

Cum Petrus Castellæ Rex ob triumphum

de fratre Henrico reportatum insolentior factus, inter alios Utracam Gusmaniam Matronam nobilissimam vivam in celeberrima urbis platea comburi jussisset, et hæc ob ignis vehementiam ita se jaclaret, ut pes nudus appareret, Isabella Ubedia ancilla ejus in ignem insiliens, eamque cooperiens, tam diu compositam vestem manu tenuit, donec et ipsa cum domina conflagravit. DREX., *Ros.*, p. II, c. XII, § 5.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius adeo modestiæ curam habebat, ut nec manum, nec oculum, membrumve ullum sine causa et ratione moveret. Hinc non paucos insignes viros ad ineundam secum societatem incitavit. *Hist. Soc.*, p. I, l. XVI, n. 107. Hinc ipso initio sui in urbem ingressus hæc ordinationem fecit: Minister M. Franciscus Xaverius, et subminister M. Alphonsus Salmeron, et Syndicus Joannes Paulus Borenius conveniant die lunæ ante cœnam certa hora ad consultandum inter se circa compositionem exteriorem, et interiorum omnium. Circa exteriorem omnibus in rebus, unde præsumi potest aliqua disedificatio, sive in verbis, sive in gestibus et motibus, vel aliis actibus. LANGZ. *Opusc.* 5, f. 403. Præ aliis tamen suam de modestia æstimationem declaravit, quando regulas ejusdem multis cum lacrymis composuit, ideoque cum vidisset eas ab aliquibus parum observari, questus est, eas tam facile violari, cum tamen sibi tot lacrymis constitissent. MASS. l. I, *Viz.* Et vero ipse Deus approbasse hunc laborem S. Ignatii videtur, dum tecum, sub quo domestici sedebant, iis ad promulgationem dictarum regularum alium in locum absentibus, concidit, omnes oppressurum, nisi ob dictam causam abiissent. *Rib.* l. I, c. 1.

B. Aloysius usque adeo erat hac in virtute perfectus ut nihil unquam vel minimum leviter fecisse visus sit. In verbis tantam adhibebat modestiam, ut ne tenuissimo quidem dicto quemquam perstringeret. *Vita.*

P. Paschasius Broëttus tam exquisita erat modestiæ ac simplicitatis, ut ab ipso S. P. Ignatio Angelus terrestris vocaretur. *Menol.*

P. Baltassar Alvarez singulariter semper subditis suis modestiam commendabat, ut

pote quam Religiosis Societatis ob tres præcipue causas valde necessariam dicebat. 1. Quod ex instituto agerent cum proximis, ac proinde eos adificare tenerentur, omniumque apud eos nomen habere, quod præcipue modestia, et compositione hominis exterioris, non tamen affectata, sed vera et religiosa obtinetur. 2. Quod alii Religiosi habitu suo et cucullo errores contra modestiam admissos tegere queant; homines Societatis autem, cum patentem habeant faciem, modestiam cuculli loco habere debeant. 3. Quod, cum Societas ex instituto suo ad magnam cum Deo in orationibus familiaritatem obligetur, atque adeo etiam exteriorem compositionem, quæ plurimum juvat devotionem, magnificare et procurare debeat. *Vit.*, c. XXII, § 2. Ipse vero tam diligenter hanc doctrinam observabat ut quidam fassus sit, se sola modestia, gravitate, et devotione, qua sacrum dictus Pater faciebat, ad Societatis ingressum permotum esse. *Cap. VII, Vit.*, § 1.

P. Mutius Vitelleschus de seipso professus est, se tantum nostrorum in scholas eunfium, et redentium modestia fructum percipisse, ut emixe sepius ejus pompæ aspectu frui contenderet. Sed et addidit, bene multos inspecta simili modestia ad Societatem animos adjecisse. Hinc suos ad eandem modestiam exhortans, ait, se nulla ratione vehementius hoc caput inculcare posse, quam si quisque sibi persuadeat, se totam Societatis existimationem dignitatemque in ore, externaque corporis compositione circumferre.

P. Ludovicus Consalvus S. Ignatii minister ad Joannem III, Lusitania Regem, a quo ad observanda dicta, et facta S. Ignatii missus fuerat, scripsit, se nullo tempore lectionis vel orationis tantopere moveri, et ad amorem Dei accendi, quam tempore, quo S. Ignatium intuebatur. LANGZ. *Opusc.* III, c. II, n. 322.

Joannes Berchman tanta erat modestiæ, ut alii dicerent, scriptas a S. Ignatio modestiæ regulas, si interissent, vel in Joanne denuo potuisse reperiri: alii aiebant Angelum humana carne vestitum non usurum majore modestia. Externi communi nomine Patrem modestum, et modestissimum vocabant, ejusque spectandi causa sepius consistebant. Domestici ejus aspectu ad modestiam B. Virginis sibi representandam incitabantur. Scripsit sibi: Si tibi cordi

est honor Societatis, sit tibi cordi modestia. *Vit.*, p. 78.

Ferdinandus Austrius (Enipontanus cum in Eucharistica processione in media turba videret P. Alexandrum Heller, ita motus fuit ejus viri modestia et vultu, nescio quam sanctitatem spirante, ut statim eum acciverit, juxta se incedere jussit, stupente urbe insolitum Principis morem. *Ann. ger.*, sup. *Coll. Const.*, 1614.

Gerondæ cum fœmina impudice duos e nostris summa modestia et gravitate per urbem incedentes cerneret, ita permota fuit, ut mores suos levissimos detestata, confessionem multis cum lacrymis fecerit. *Ann. Ar.* 1614.

Mediolani adolescens quidam cum sæpe videret Fratres nostros ad concionem euntes, ita modesto eorum vultu, inessu, et ordine commotus est, ut vere eorum mentibus, et corporibus Deum insidere credens, ad Societatem admitti petierit, et impetravit.

Inter Jerusinos vir quidam nobilis, cum Patrum nostrorum inter sacrificandum pietatem, in templo silentium, ac religiosam in confessionali gravitatem spectasset, domum redux testamentum jam confectum rescidit, et sua collegio destinavit. *An.* 1650, *Proc. Ro.*, f. 12.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut natura arborem nunquam sine cortice producit; ita gratia virtutem menti non inserit, nisi exteriori etiam cortice modestiæ ornatam. RODRIG. p. II, tr. II, c. III.

Sicut speculum imitatur omne id, quod is facit, qui illi propinquus adstat; ita corpus quoque eo modo se componit, quo modo composita est anima, cui unita est. *Lud. Gra.*, l. II, c. XV.

NECESSITAS. — Sicut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt; sic nos si acres ac diligentes judices esse volumus, animadversoresque vitiorum, etiam magna intelligentis ex parvis. *Cic.*, l. X, *Of.*, c. XXII, § 2.

Sicut magistri non solum elementorum figuras discipulis ostendunt, sed etiam minima quedam puncta, distinctionesque proponunt; ita etiam magistri perfectionis minus quosque contra modestiam defectus

vitare docent; non enim, ut recte notat S. Bonav., est minimum minima contemnere, quæ non minimam moribus maculam eo turpius neglecta habita ingerunt, quo vitari facilius cognita potuerunt. S. BERN., *de Vita spirit.* In spec. disc. prot.

Sicut eum, quem exterius tetra colore affectum videmus, consuevimus dicere sanum non esse; ita et ordinare judicamus, quoad animam sanum non esse, quem tetrum immoestiæ colorem præferre videmus. RODRIG., p. II, c. III.

UTILITAS. — Sicut in horologio tunc rotas, et alia instrumenta bene moveri judicamus, cum ejusdem index ac sonus exterius certa via, et ratione procedunt; ita quoque non vane judicare possumus internum hominis statum rite ordinatum esse, si externa ejusdem compositio talis est qualem esse decet. JULIUS FABIVS, c. XX, *de Mortif.*

Sicut maturi fructus egregium de se odorem emittunt, et gustui valde bene sapiunt; ita illi homines, qui per egregiam modestiam maturaverint, optimum de se bonorum exemplorum odorem spirant, gratamque aliis suam conversationem efficiunt.

DIGNITAS. — Sicut ad externas regiones et gentes non mittuntur legati, nisi selecti, et optima corporis constitutione insignes, ut reverentiam sui conspectu ipso conciliant; ita qui legati Christi sunt in animarum salute procuranda, non nisi selectissimi et insigni modestia præditi sint, oportet. NIEREMB. in *doctr. Ascet.* l. V, c. XXXIX, *doct.* VI.

Sicut matronæ honestiores nunquam aut raro per fenestras prospiciunt; dissolute vero indesinent id faciunt; ita et homo perfectionis, et virtutis Christianæ studiosus ante omnia dat operam, ut honestatem semper in moribus teneat, et per sensuum immoderatam libertatem malum exemplum nemini præbeat. S. BAS., *tr. de Vera virt.*, c. 1.

Sicut nunc videmus, multis puerilibus delectationibus nos carere, quæ nos pueros, si denegentur, acerrime cruciant; ita credendum est de omni carnali delectatione futurum esse, cum perfecta sanctitas totum hominem reparaverit. S. AUG., l. III, qq. q. 70.

JUCUNDITAS. — Sicut is, qui centum, vel plura templa Deo extruxisset, merito gauderet; ita multo magis gaudere debet homo quivis, si per modestiam suam ita alios edificavit, ut vitam emendent, et spiritualia Deo templa efficiantur.

Sicut palpebrarum prominentibus pilis, quasi vallo objecto, puritatem et vehementiam radiorum natura obumbrans, et frangens, temperatum ac dilutum splendorem oculis inferi, quo placidus sol pro eo modo, quem visus poscit, cum umbra, quam palpebræ faciunt, contemperatus existat; ita morum gravitas, atque maturitas cum moderata animi dimissione commixta, non averlit oculos intuentium, sed jucundum efficit obtutum, ut neque gravitatis ac severitatis splendor obscureretur, neque latens in animo vis propter humilitatem despiciatur, sed alterum aequaliter in utroque, tum in celsitudine, ac sublimitate comitas, et humanitas, tum in humilitate vice versa gravitas et severitas animadvertatur. S. GREG. NYSS. l. II, *Inst.*, c. XXIX.

MOTIVA.

NECESSITAS: quia a modestia bonum nostrum nomen (cujus summam curam habendam Salomon suadet, utpote quod magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi et magni) et fama dependet; neque enim tam notaculo corporis, quam innocentie, ac modestie signo dignoscimur, teste Minutio Felice.

UTILITAS: quæ quidem triplex est, 1. ad majorem *Dei gloriam* promovendam juxta testimonium Christi: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. MATH. v, 15. Ad *salutem proximi* promovendam; quia ut lux non tantum illustrat alia objecta, sed alia etiam valde calefacit, et, si eisdem propius applicetur, omnino in se convertit; ita idem quoque modestia facit, teste S. Isidoro dicente: Viri summa virtute (modestia præsertim) præditi, etiam nullum verbum emittant, silentio tamen quavis voce clariores discipulos suos erudiunt, non ipsorum aures oblectantes, sed animis lumen et splendorem afferentes. L. II, *Ep.* 1, 3. Ad *salutem propriam* conservandam: cum, teste Rodriguez, communis SS. Patrum doctrina sit, in præcipuis progressus nostri spiritualis mediis modestiam esse numerandam, utpote qua portas exteriorum sensuum (per quas mors facile ascendit, juxta testimonium S. Jeremie) custodit, et per hoc

cor (ex quo vita procedit) et conceptam intro devotionem conservat. RODR., p. II, tr. II, c. II.

ÆQUITAS: cum enim quisque templum Dei sit (juxta illud S. Pauli: An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est) merito eum glorificare, et portare debemus in corpore nostro, I Cor., VI, 20, et illud S. Anselmi consilium amplecti: Quomodo non vultis maculari domus vestras, sic nec Deus domum suam, id est, corpus vestrum. Si ergo vobis non parcitis propter vos ipsos, parcite propter Deum, qui fecit vos templum suum; graviter enim peccatis, si templum ejus, quod est in vobis, corrumpitis. Nihil ergo in corpore vestro notari possit, quod ad Dei contumeliam speet, quod non ejus gloriam commendat. NIER., *Doct. asc.*, l. V, c. XXXIX., *Doct.* v.

DIGNITAS: ut enim ex gravitate morum plerumque indolis, flemmatisque excelsitas cognoscitur; ita et ex eadem specialiter veri filii Dei dignoscuntur; hinc merito S. Tobias immodestas linguas amicorum coercens dixit: Nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum sumus: et, ut S. Ambrosius ait, modestia est portio Dei, vel indicium, per quod ejus filii esse cognoscimur.

JUCUNDITAS: quid enim gratius accidere potest homini, quam si ametur ab omnibus? quemadmodum enim Christus (ut B. Virgo S. Birgittæ revelavit) tam pulcher erat (et modestus facie) quod nullus eum videbat, qui non consolabatur in aspectu ejus, etiam si præcordialiter dolorem haberet. Unde et dolentes dicere consueverunt: Eamus, et filium Mariæ videamus, ut saltem tanto tempore releveremur; ita eundem quoque effectum merito sperare poterit, qui Christum in dicta modestia imitari studuerit.

MEDIA.

Dei et Christi præsentiam jugiter in memoria habere: si enim S. Bernardini præsentia sufficiens fuit ad sociorum petulantium mores corrigendos, quanto magis Dei et Christi præsentia animo concepta sufficet ad omnem morum honestatem inducendam, hinc recte S. Gregorius Nazianz. dixit: Ubi Christus est, modestia quoque est.

B. Virginem ut matrem colere et amare: ut enim veræ et sollicitæ matres nihil impensis curant, quam ut filii eorum mores ad modestiam omnem compositos habeant; ita idem piissima illa Mater tanto accuratiori studio in filiis suis efficere conabitur, quanto ardentiori eosdem amoris affectu amplectitur. S. GREG. NAZ., *Ep.* CLCV.

Studium perfectionis augere: ut enim ipsa experientia teste, quanto alterius quisque in dignitate ascendit, Regique aut Principi sit familiarior, tanto magis necessariam sibi majorem quamdam morum gravitatem atque decentiam esse arbitratur; ita eundem impulsus tanto fortius sentient perfectionis studiosi, quanto altior digniorque est ille, cui per et propter suam virtutem facti sunt familiares.

Consortia levicularum sociorum, velut in virtute, atque perfectione parvulorum, studiosè declinare: Si enim corrumpunt bonos mores, teste Apostolo, colloquia prava; quanto magis id conversatio prava efficit? an non cum parvulis istis loquatur, sapienter agetque parvulus? fugiat ergo horum consortia inducens virilem animam, ut evacuet, quæ sunt talium parvulorum.

Sua et communitatis in qua quisque habitat, famæ et æstimationis magnam curam suscipere: sic enim non modice impelli se sentiet ad singularem modestiæ amorem ac studium, utpote a qua, ut supra dictum, notissimum utraque hæc fama dependet: unde merito hoc unum prope medium vel efficacissimum adhibuit P. Mutius Vitellescus ad studium modestiæ suis subditis filiisque persuadendum.

Sanctorum vel etiam hominum in terris degentium, et modestia conspicuorum exempla frequenter sibi oblicere: ut enim P. Ludovicus Consalvus fassus est, se nulla oratione aut lectione tantopere ad amorem Dei, et, quod sequitur, etiam modestiam, morumque gravitatem accendi, quam solius Ignatii aspectu: ita merito quoque idem sperare poterit, qui aliorum sibi præclaram modestiam ob oculos objecerit: illudque S. Ambrosii dictum de ejusmodi Sanctis sibi applicarit: Sit vobis tamquam in imagine descripta Virginitas (et modestia) vitæque Mariæ (aliorumque hominum modestiæ virtute præcellentium), in qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa

probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis ostendunt. S. AMBR., l. II, *de Virg.*

Accuratè examen particulare: ut enim ad mores adolescentis rite componendos nihil perinde est efficacæ, ac sedulus morum magister, qui errores contra modestiam commissos efficaciter ostendat et corrigat; ita cum idem officium examen particulare obeat, merito non dispar ex eo fructus sperandus est.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ de hac virtute Ascetæ bene discenda, aliisque inculcanda sunt. Primum est, ut convenientem de illa æstimationem concipiat, eumque in finem perpetuo distichon sequens in mente ac memoria habeat:

Multum est doctrina, virtute excellere multum: Majus opus, mores composuisse suos.

Cum enim ad hoc requiratur, ut in omnibus nostris verbis et actibus nihil reperitur, quod cujusquam offendat aspectum, quemadmodum S. Augustinus monet, et hanc ipsam morum decentiam atque integritatem perfectio sanctitatis (quæ in charitate divina præcipue consistit) superaddat, facile apparet, uti difficillimum et rarissimum opus est viri undequaque perfectus; ita rarum quoque morum ad leges modestiæ compositarum conformatione reperiri.

Secundum est, ut ad certa quæpiam capita revocet, quæ circa hanc modestiam sunt observanda, qualia quidem quatuor præcipue assignari possunt. 1. *Hilaritas et serenitas frontis et faciei*: quæ quidem moderata sit, et ex conscientia bona velut nativa radice procedat, oportet. Unde duo extrema ipsius studiosè cavenda: prius est nimia gravitas aut severitas vultus, quæ per frontis aut nasi corrugationem, tristitiam aut alium motum inordinatum indicet: posterius est risus immodicus et immodestus, quia ridere solutus nequitiam iis permissum est, teste B. Antiocho, qui sunt germani Christi, omnium minime convenit monachis, qui se jam crucifixerunt istius mundi vitii. Hinc et S. Nibis ad excessum risus fugiendum hortatur, quia enervat animam, anima vero enervata facile a fræ-

no legis exiuit: juxta V. Bedam vero nullum habebit accessum cordis compunctione, ubi fuerit immoderatus risus et jocus: imo non tantum animo, sed etiam corpori nocet risus excessus, in hoc enim sanguis recidit a corde, et ex valido risu homines sæpe suffocantur. Hinc breuiter et bene S. Bernardus ad Eugenium scribens ait: Fœde ad cachinnos moueris, foedius moves. 2. *Mundities* vestium et membrorum, quæ aspectui patent: quam quidem S. Ignatius suis hac regula commendavit: Mundities, quæ et ad valetudinem, et ad ædificationem confert, omnibus curæ sit, tam circa seipsum, quam omnia alia: nam mundities arguit gravitatem morum, teste Isocrate, si tamen, ut Tullius monet, non sit odiosa, nec exquisita nimis, nec muliebris, sed virilibus tantum, quæ fugiat agrestem et inhumanam negligentiam: quippe nec affectatas sordes, nec exquisitas delicias Christiano convenire, S. Hieronymus monet. S. Hier., *Ep. n et m, Vita*, l. III, c. n. Certè de S. Bernardo scribitur, quod in vestibus ei paupertas semper plauerit, sordes nunquam; nimirum animi fore judices aiebat, aut negligentis, aut foris gloriam affectantis humanam. 3. *Gestus et motus membrorum*, cujus quidem defectus breuiter, sed sufficienter indicavit Hugo de S. Victore his verbis: Gestus autem reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis significat lasciviam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus sive impetuosus inconstantiam. Hugo, *de Disc. monach. A. Sermone attemperatio*: ut, quemadmodum S. Clemens monet, uterque qui disserit, vocem metiatur justa proportione, et commoderatione: elatus enim clamor pronuntiationis, res est insanissima: cum proximis autem ita loqui, ut non audiaris, ejus est, qui nullo est sensu præditus, neque enim audient: et hoc quidem est pusilli et abjecti animi indicium, illud vero arrogantia. S. CLEM., l. II, *Pod.*, c. vii. Aliæ circumstantiæ in sermone observandæ, distinctius alibi exponuntur; hic in genere sufficit, si regula supra citata S. Ignatii observetur, si loquendum fuerit, meminerint modestiæ et ædificationis, tum in verbis, tum in modo loquendi.

Tertium est, ut regulas quasdam generales debeat, juxta quas se dirigere quisque debet in moribus rite conformandis, quarum quidem tres potissimum assignari pos-

sunt. 1. *Natura*: quam regulam assignat Cicero his verbis: Naturam sequamur, et ab omni, quod abhorret oculos auriumque approbatione fugiamus, Cic., l. II, *de Offic.*, nam, ut recte S. Ambrosius advertit, nihil fucatum placet, motum natura informat. Si quid in natura vitii est, industria emendet; ut ars desit, non desit correctio. S. AMBR., l. I, *Offic.*, c. xviii. 2. *Consuetudo patriæ*: nam, ut suum cuique homini, ita et nationi pulchrum est, quod proin quis cum ratione eligit, qui aliis convivere, suamque societatem gratam efficere desiderat. 3. *Exempla politiorum*: id est, qui urbanitatis decorum studiosius consecretantur, et sincerius: hæc enim uti oculis fidelius objiciuntur, ita vim quoque efficaciamque habent majorem ad imitationis desiderium studiumque provocandum. Porro quæ regulæ speciatim circa cultum divinum, congregationum officia, compellendi rationem cultum corporis, incessum, colloquia, refectionem corporis, et nocturnum decubitum a modestia præscribantur, copiose simul et eleganter enarrantur in aureo libello, qui ab aliis *Astrologus Christianus*, ab aliis *Decorum et Urbanitas morum* fuit inscriptus.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est: » proponi possunt effectus modestiæ. Et in prima quidem parte breuiter explicari potest, quid sit modestia, et quomodo in capitibus supra citatis observari debeat. In secunda parte ostendi potest, quam convenienter luci comparetur, eo quod ut lux illuminet partim ipsum subjectum, cujus famam adauget, et conservat: partim alios, quibus morum recte componendorum exemplar exhibet; ut lux purificet ostendendo errores, qui contra morum decencia committuntur: et tandem ut lux calefaciat quatenus exemplo suo efficacè desiderium imitationis in aspicientibus accendit. Quæ omnia facile fusus per ea, quæ superius dicta sunt, amplificari possunt.

Ex occasione ejusdem thematis possunt motiva ad modestiæ studium impellentia proponi. Et in prima parte iterum breuiter ostendi, quomodo morum decencia in ocu-

lis, colloquiis, vestitu, et incesu servanda sit. In secunda parte ostendi, et explicari possunt tres causæ, ob quas potissimum modestiæ studere quis debeat, nimirum: 1. *Propter gloriam Dei*: hanc enim causam Christus indicavit, dum dixit: Ut glorificent Patrem vestrum; nam confusio patris est de filio indisciplinato, teste Siracide; ita filius bene moratus est honor et lætitia patris sui. *ECL. XXII, 3. 2. Propter propriam famam*: ubi prius breuiter ostendatur, quanti æstimanda sit fama: deinde probetur ad eam conservandam et augendam potissimum medium esse morum compositionem legitimam, cum facies sit speculum mentis, et taciti oculi mentis fateantur arcanum, S. Hieron. teste. 3. *Propter ædificationem proximi*: quæ sane melius et facilius procurari non potest, quam per exteriorem decenciam morum: hæc enim uti sola in oculos cadit, ita sola prope est, quæ alios ad imitationem trahit: et hæc ratio specialem vim habet in iis, qui subditos habent; hi enim cum sint veluti magistri morum, pessime sane officio suo faciunt satis, si cum summam morum honestatem subditos docere debuissent, pessimos mores non tam verbo, quam quod pejus est, exemplis doceant pessimis. Quæ de re fusius videri potest *Pædagogus Christianus*, p. I, cap. vi.

Ex occasione thematis: « Ex visu cognoscitur vir, et ab occuru faciei cognoscitur sensatus, » comparari potest modestia speculo. Et 1. quidem ostendi similitudo illius cum speculo, quia ut speculum plumbo debet esse a tergo, et quasi in abscondito terminatum; ita modestia pro fundamento debet habere humilitatem, qua homo non pelat ab hominibus videri, aut æstimari, sed soli Deo placere juxta illud Christi: ut glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Deinde vero sicut speculum, ut clare species repræsentet, debet constare vitro perlucidò polito, et mundo; ita ad modestiam quoque requiritur *facies clara*, id est, serena et ad hilaritatem composita: *lævigatio*, id est, motuum ad leges modestiæ facta compositio: et *mundities*, quæ non leve interioris bonæ constitutionis præbet indicium. 2. Probari potest, quod in hoc speculo homo quivis ab alio facile cognoscatur, idque per triplex argumentum firmari potest, nempe per auctoritatem SS. *Scripturæ* in citato supra loco, et *Prov. xxvii, 19, SS. Patrum* maxime S. Hieronymi dicentis: Speculum men-

tis est facies, et taciti oculi mentis fateantur arcana. S. Hier., *ep. ad Fur.*, et S. Gregorii de Juliano apud Rodrig. p. II, tr. II, c. 1, et quotidiana experientia, ex qua nata sunt axiomata sequenti paragrapho referenda. Excitantur proinde auditores ad hoc speculum frequenter et fructuose (scilicet cum correctione macularum in eo visarum) inspicendum, ne aliqui similes fiant homini vultum nativitatæ suæ in speculo consideranti, quia consideravit se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit. *JAC. I, 24. Vide Rodrig. q. l. c.*

Ex occasione sententiæ: « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiat in vobis: » I *Cor. xiv, 40*: potest modestia horologio comparari, dicitur quod, sicut olim Carolus V ingressus urbem quampiam horologium inspexit, et ex ejus ordinato cursu bonam constitutionem Reipublicæ collegit; ita idipsum de modestia recte sentiat. Probetur ergo similitudo ex tribus capitibus ad horologium requisitis. Et 1. quidem dicatur *Indicem* horas signantem esse decorem externas nostras actiones per diem obiri solitas juxta cursum solis, id est, divinæ voluntatis dirigentem. 2. Internas rotulas et instrumenta esse potentias internas et habitus supernaturales virtutum, et quibus actiones externæ produci solent, quæ nisi omnes suum officium peragant, actum est de felici cursu horologii. 3. *Pondera* motum rotularum cansantia esse motiva, quæ ad studium modestiæ suscipiendum impellunt. Quæ supra videri possunt.

Ex occasione thematis: « Cœli enarrant gloriam Dei: » *Ps. xiii*: potest homo modestus celo serano seu firmamento comparari. Et 1. quidem dicit, quod sicut cœlum intus quodammodo stellis plenum est; ita homo modestiæ studiosus intus seu in anima omnigena virtute (utpote a qua extrema morum compositio omnem decorem et efficaciam habet) instructus esse debeat. 2. Quod, sicut cœlum serenissimam faciem, ut ita loquamur, nobis exhibet; ita et homo modestus externam semper in fronte et facie hilaritatem præ se ferre debeat, quæ interioris sit indicium. 3. Quod, sicut sub cœlo sereno homines libenter ambulat et operantur, eodem vero nubibus obducto fugiant, et intra ædes se continent; ita hominis sereni et modesti societatem omnes ament, fugiant vero si turbulentum et tristitiæ nubibus obductum videant. 4. Quod sicut cœlum serenum as-

pectu suo et pulchritudine omnes ad Conditionem æstinandum et laudandum atque amandum incitat; ita et modestia conspecta homines ad glorificandum Deum impellat.

Ex occasione them.: «Qualis est dilectus tuus ex dilecto: » possunt laudes hominis modestiæ studentis explicari. Et quidem dici, quod caput illius sit aurum optimum propter gravitatem in capite movendo servatam. 2. Oculi illius sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima, eo quod non nisi ad objecta honesta et casta dirigantur. 3. Genæ illius sicut areolæ aromatum, ob hilaritatem, quam in facie ostendit. 4. Labia ejus lilia distillantia myrrham probatissimam, ob occuratam linguæ custodiam. 5. Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, ob decentiam, quæ in iisdem movendis adhibetur. 6. Crura illius columnæ marmoreæ ob tarditatem, et gravitatem in excessu. 7. Venter ejus eburneus distinctus saphiris, ob honestatem et munditiem vestitus, quem in corpore ornando observat. Ob quæ proinde decora merito quisvis homo hominem modestum amet, dicatque: Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis, et ipse est amicus meus.

Ex occasione thematis: «Quam pulchra est et quam decora charissima in deliciis.» CANT. VII: possunt pariter laudes animæ modestiam amanti prædicari. Et 1. quidem dici, quod caput illius sit ut Carmelus, ob rectitudinem. 2. Capilli sicut greges caprarum, ob ordinatam compositionem. 3. Oculi columbarum, et sicut piscinæ in Hesebon, ob puritatem obsectorum, ad quæ convertuntur. 4. Labia sicut villa coccinea, ob verecundiam sermonis. 5. Odor oris sicut odor malorum, ob decentiam in mensa servatam. 6. Collum sicut turris David, et sicut monilia, ob honestatem, quæ in eo ornando et tegendo adhibetur, et ob generositatem, qua leviculas mulieres collum denudantes contemnunt, et fugit. 7. Dentes sicut greges ovium, ob temperantiam, quæ in cibo potu sumendo, famaque aliorum custodienda observatur. 8. Manus et digiti distillantem myrrham probatissimam, per abstinentiam ab omni contactu immodesto et illicito. 9. Pedes et gressus pulcherrimi in calceamentis, tamquam filiæ Principis, summam in gradiendo decentiam, gratamque tarditatem observandis. 10. Statura palme assimilata, ob victoriam difficultatis in observandis mo-

destiæ præceptis reportatam. Quæ omnia fuscè explicata videri possunt apud Justinum Michoviensem in discursibus super Litanias Laurotanas, discurs. 173 et seqq.

Ex occasione thematis: «Filia mea, lavare, ungere, et induere cultioribus vestimentis:» RUTH. II, 3: potest ornatus exterior animæ modestiæ explicari, eumque in finem exemplum Judithæ adhiberi, quæ 1. *lavit se*, quo denotatur mundities, qua modestia specialiter observandam præcipit. 2. «Imposuit mitram super caput suum, » qua gravitas in eodem movendo insinuat. 3. «Exiit se vestimentis viduitatis suæ, » qua fuga tristitiæ exterior ostensa, et studium hilaritatis denotatur. 4. «Induit sandalia pedibus, » quibus decentiam in incessu innuit. 5. «Assumpsit dextrariola, et annulos, » quibus ordinatissimus manuum motus significatur. 6. «Omnibus ornamentis ornavit se, et unxit myrrho optimo, » quo fuga omnis levitatis muliebris, et decor in omnibus actionibus et verbis observatus depreciditur: quibus proinde omnibus efficitur, ut animæ taliter ornate, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute procedit, etiam Dominus augeat hanc in illa pulchritudinem, et incomparabili decore omnibus appareat.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Romæ olim Censores constituebantur, quorum primarium erat officium ad morum emendationem attendere; erantque inter alios Magistratus maximæ reverentiæ et potestatis: cumque illorum manus uno dumtaxat anno duraverit, hoc per quinquennium durabat. CICERO, de Leg.

Christus quondam S. Birgittæ dixit: O quam honestæ et morigerose oportet eas (animas Deo sacratas) in conspectu intuitum esse, cum verbis et moribus incedere, cum invitati ad nuptias, intuentes eas sint Virgo Maria Mater Dei cum toto coelesti exercitu. Sponsus vero desiderans eas, est verus Deus, Rex Regum et Dominus dominantium, potensque super omnia creata. Lycurgus Spartanorum legislator modestiam commendaturus imperavit, ut adolescentem maxime manus in via intra pallium continerent, silentio incederent, usquam

circumspicerent, oculos humi defixos gererent. DREX., p. II, Ros. c. XII, § 3.

Priscorum metro dicebatur: corona virtutum omnium modestia. *IBID.*, § 5.

Publius Virgilius poetarum Princeps adeo animo, ore, et calamo verecundus fuit, ut vulgo Parthenius diceretur. *IB.*, § 5.

Agnus castus, frutex sic dictus, quia castum hominem efficit, merito hominis modesti symbolum dicitur, ut qui omnibus, a quibus videtur, integritatis insigne confert, ut S. Ambrosius loquitur. *IB.*, § 2.

S. Bernardus ad modestiam exemplo B. Virginis æmulandam sic hortatus est: Obsecro vos, filiioli, æmulamini hanc virtutem. Si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano. S. BERN., *sup. fig. magnam.*

AXIOMATA.

Ex abundantia cordis os loquitur.

Qualis domus, talis Dominus. FÆVILEG.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, tr. II, toto.

Jeremias Drexelius in *Rosis*, p. II, c. XII.

Joannes Pelecius, l. III, de *Offic. Rebg.*

S. Dorotheus, serm. 2.

Bernardus Rosign. l. IV, de *Discipl.*, c.

XXXVIII.

Julius Fabius, de *Mort.*, c. XX.

Nicolaus Lancizius, opusc. II.

Joannes Buseus, in *Panario V. Inmodestia.*

MORS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est recessus animæ, secundum Aristotelem: aut caloris naturalis dissolutio, juxta eundem. ARIST., l. de *Mort.* Secundus Philosophus ab Adriano imperatore interrogatus, quid esset mors, respon-

dit: Æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. AR. LAERT. Juxta S. Aug. est relicto corporis, depositio sarcinæ gravis. S. AUG. Juxta S. Amb., est absolutio animæ et corporis, et quedam hominis separatio; solvimur enim hoc nexu, cum recedimus. Unde et David ait: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. S. AMBR., de *Bona mort.* c. III. A S. Gregorio *Somnus* vocatur juxta illud S. Jobi: Homo, cum dormierit, non resurget. Cujus appellationis rationem hanc S. Doctor reddit, quod vehementer ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni autem vocabulum non timetur. Unde S. Paulus discipulos admonet, dicens: Nolimus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. S. GREG., l. XII, *Mor.*, c. v. Dicta autem est mors a morsu, teste S. Aug., quia videlicet per morsum, quo propterea nostri vitium pomum momorderunt, in orbem introducta est. S. AUG., s. c. de *Temp.*

Dividitur 1. in *Naturalem*, et *Violentam*: illa est, quæ ab interno principio videlicet caloris naturalis extinctione, provenit, qui propter defectum humiditatis radicalis, perinde ut lucerna deficiente oleo extinguitur. Ista est, quæ a principio extrinseco oritur, cum videlicet, ut Cicero explicat, vel humor detrahitur, vel calor extinguitur oppressione quæpiam, sive interna, ut in veneno, ingluvie, et alluvione immo dica potus, quemadmodum cum nimium olei in lucernam infunditur: sive externa, ut spiritus cor refrigerantis in arteria, vel ore compressio, quale est, cum ignis lapidibus aut multo cinere de repente obruitur. Cic., l. I, *Tusc.*

Dividitur 2. in *Bonam* et *Malam*: illa contingit, quando homo in statu gratiæ deccidit, ista est, quando in peccato mortali, per penitentiam non deleta, moritur, et a S. Jo. mors secunda vocatur. APOC. II. De illa dicitur: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, Ps. cxv, 15, de hac: Mors peccatorum pessima. Ps. xxxiii, 22. Unde teste S. Greg., populum per deserta gradientem columna nubis in die, et columna ignis in nocte præibat, quia cum venerit Filius hominis in Majestate sua, omnes hunc et electi, et reprobi videbunt, ut et justi de